



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando lauamur. Exercit. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

## EXERCITIO. SPIRIT.

### *Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, animæ nostræ nuditatem attendentes, cuius vestē primā innocētiae baptismalis dirupimus, quæ cū Dei beneficio sepe numero esset redintegrata, nos denuo eā minutim discidimus & dilacerauimus.

### *Petitio.*

**P**Recabimur Dominum, vt ei placeat hoc vestimentum restaurare, eoque & virtutum indumento nuditatem nostrā, obtegere, vt tollatur opprobriū nostrū, & anima nostra decenter adornata appareat in oculis suæ diuinæ Maiestatis.

### *Oblatio.*

**O**fferemus nos Domino, ad tolerandam amore ipsius omnem paupertatem, nuditatem & ipsam denique mortem crucis.

### *Quando lauamur.*

#### Exercitium I. I.

*Isai. 1. Lauamini, mundi estote, auferte malū cogitationum vestrarum.*

*Psal. 50. Amplius laua me ab iniquitate mea  
& à peccato meo munda me.*

MANVALE.

*Psalm. 25. Lauabo inter innocentes manus meas.*

*Apo. 1. Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

*Consideratio.*

**C**ONsiderabimus Dominum esse puritatis & munditiæ amatorem, qui propter amorem, quo nos complexus est, vt nos à peccatorum nostrorum immunditijs lauaret, preparauit nobis balneum ex sanguine suo, atque illius nobis virtutem applicauit: Lauit etiam nos aqua baptismatis: sed & assiduò nos vi & efficacia reliquorum Sacramentorum, speciatim Sacramenti poenitentiae à scelerum sordibus emundat.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias habebimus Domino, pro illo inexhausto fonte, omnibus intra Ecclesie septa constitutis apparato, hoc est virtute sanguinis Christi, quæ nobis abundè communicatur per septem illos septem sacramentorum canales. Quorum virtute quantumuis etiam horridæ & inueteratæ sint peccatorum

torum

## EXERCITIO. SPIRIT.

catorum nostrorum maculæ ita nihilominus emundamur, vt anima nostra lana diligentissimè lota nitidior, & niue candidior remaneat.

### *Confusio.*

**E**Rubescemus vilitatem & miseriam corporis nostri inspicientes, de quo egreditur tanta spurcitas, vt necesse nobis sit quotidiana & sæpè repetita lotionem quam si negligemus, ita foetidi & graueolentes redderemur vt alter alterum, vix aut nullo pacto sufferre posset. Præterea illam miseriam cordis nostri longè grauiorem à quo profluxere, & indies proficiscuntur, tot scelerum ac flagitiorum impuritates.

### *Petitio.*

**P**etemus à Domino cordis munditiam, vt non solum pedes nostros, quemadmodum discipulis suis fecit, sed & manus & caput. & quicquid demum in nobis est, diligenter purificet, vt mundæ sint cogitationes, desideria & opera nostra.

### *Oblatio.*

MANVALE,

*Oblatio.*

**O**fferemus Domino, purissimam illam Redemptoris nostri Iesu Christi animam, ipsis Angelicis spiritibus splendidior, in qua nunquam locum habuit neque habere potuit vlla peccati labes: nec non illam sanctissimæ matris eius munditiem, quæ purior & nitidior omni pura creatura extitit.

*Ad egressum domus,*

Exercitium. IV.

*Psalm. 24. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.*

*Psal. 118. Vtinam dirigantur via mee ad custodiendas iustificationes tuas.*

*Ibid. Omnem viam iniquitatis amoue à me.*

*Ibid. Auerte oculos meos ne videant vanitatem.*

*Consideratio.*

**C**onsideramus quomodo egrediens Dei filius è sempiterno habitaculo suo, id est, è sinu æterni patris, idque sine sui ab illo separatione nostræ utilitatis gratia venit in mundum & familiariter conuersatus fuit cum hominibus.